

II R
824



COLLEGI
 INSTITUTIONUM IMPERIALIUM
 THEORETICO-PRACTICI
 EXERCITATIO III.

DE
J U R E

ad S. fin. de J. & J.

&

ad pr. S. 1. & 2. de J. N. G. & C.

quam

permissu Superiorum,

PRÆSIDE

ANDREA MYLIO, J. U. D.

Inst. Imp. P. P. & Facultatis Juridicæ

Assessore,

placido Eruditorum Examine,

ad D. 27. Septembr. Anno 1692.

proponit

JOHANNES GEORGIUS de PONICKAU,
 Eqves Misnicus.

LIPSIÆ,

Literis CHRISTIANI BANCKMANNI.



1692

ILLUSTRI, GENEROSISSIMO, & EX-
CELLENTISSIMO

DN. DN.

JOHANNI de PONICKAU,

in Belgershayn, Pohla & Schönborn,

Potentissimi ELECTORIS SAXONIÆ,

In Circulo Lipsiensi

DIRECTORI

&

Steurarum, quæ ibidem solvuntur,

INSPECTORI,

Parenti, omnis filialis cultus genere, æter-
num suspiciendo

Exile hocce specimen Academicum
humillimè offert

filius obedientissimus

JOHANNES GEORGIUS
de PONICKAU.



COLLEGI
INSTITUTIONUM IMPERIALIUM
THEORETICO-PRACTICI

EXERCITATIO III.

De

J U R E.

I.

Hæc de Fine Jurisprudentiæ; Jam Medium Connexio. sequitur, quod in Jure consistere communiter existimatur, LUDWELL. *Exercit. I. th. 6.* Sed Juris Etymologia. unde ita dicatur, non est una omnium sententia. SCIPIO GENTIL. *lib. sing. orig. verb. justitia &c.* putat, illud vel dictum esse quasi *ἰὸν* h. e. vagum quiddam, nec fixum certo loco & tempore, vel à Tragicâ ista ejulatione *ἰγ*, vel à Jove, omnis juris authore, & quasi patre. ALCIATUS *l. πᾶσι 29.* statuit, quod jus dicatur, quasi vis. Aliter sentit VACON. *lib. 6. declarat. 71. n. 1. & declarat. 77. n. 6.* qui jus per apocopen quasi justum, sicuti dic, fac, pro dice, face, appellari asserit. CONNANUS jus nominari dicit, quod juxta sit, i. e. par & æquale *lib. 1. Comm. jur. Civ. cap. 1.* Nos vero arbitramur, Juris verbum simplex esse & primum, quoad notationem Grammaticam; sed quoad Logicam seu Realem modò à jubendo, modò à justitia suam denominationem accipere. A jubendo quidem, si pro præcepto capitur, quomodo antiqui, authore Festo, jura dixerunt jussa. WESENBEC. *in π. d. 7. & 7. n. 4.* sed à justitia, si pro arte sumitur. *l. 1. pr. π. d.*

A 2

7. & 7.

J. & J. ibique CORAS. FÖRST. disp. 1. Inst. tb. 17. Atque ita Jus in Concreto considerari, dubium habet nullum, siquidem concreta à suis abstractis appellari, certum est. l. 1. §. 1. π. d. pact. ANT. FAB. ad l. 1. π. d. J. & J. & in Juris-Prudentia Papin. d. t. pr. 1. Dissent. WISSENB. ad π. disp. 1. tb. 8. Has vero derivationes non etymologicas, sed nudas allusiones esse asserit LOPEZ. animadvers. cap. 1. n. 5.

II.

Homonymia.

Juris vocabulum vel **Impropriè** sumitur, vel **Propriè**. **Impropriè** & **metonymicè** modò denotat ipsam Jurisprudentiam, seu disciplinam juris, *rubr. I. d. J. & J. l. 1. §. 1. π. eod.* modo locum, in quo jus reddebatur *t. t. π. d. in jus vocando. t. t. π. si in jus vocat. non ierit*, modo titulum, *l. 10. π. si serv. vind. l. fin. π. de aquâ & aquæ pluv. arc.* modò facultatem seu potestatem moralem, personæ ad aliquid habendum seu faciendum competentem. Quod in jure personarum, rerum, & actionum perspicuè cernitur. **Propriè** verò jussum superioris denotat. Quæ acceptio hujus est loci. Vid. *HAHN. ad Wesenb. d. J. & J. n. 14. C. J. A. d. J. & J. tb. 5. MAURIT. d. princip. jur. publ. Germ. cap. 1. aph. 1. & seqq.*

III.

Definitio realis.

Est autem **jus** regula seu norma actuum moralium, obligans ad id, quod rectum est. *GROT. lib. 1. cap. 1. §. 9.* sive est publica legislatoris voluntas, habens vim inferiores ad id, quod bonum est & justum, in actionibus suis observandum obligandi. *v. l. 9. π. d. LL. HOPPER. d. arte juris lib. 1. tit. 20. VULTEJ. in Jprud. Rom. lib. 1. cap. 1. DN. PUFEND. in element. Jurispr. univers. lib. 1. def. 13.*

IV.

Juris divisio.

Cum verò quædam publicè utilia sint, quædam privatim, ideo

ideo jus aliud **publicum** dicitur, aliud **privatum**. **Publicum** in Publicum & pri-
jus est, quod ad statum rei Romanæ spectat, & in sacris, sacerdo- vatum.
tibus, & magistratibus consistit. **Privatum**, quod ad singulo- Definitio
rum utilitatem pertinet. *l. 1. §. 2. π. d. 7. & 7.* idque in controver- Juris pub-
siis forensibus de meo & tuo est occupatum. HUBERUS ad *Tit. 7. d.* lici &
7. & 7. n. 10. & in fundament. juris disp. 4. §. 1. seqq. Nega- privati
ri equidem non potest, etiam privatum jus appellari sæpe Quomodo
publicum; sed tum respectus ut plurimum non ad statum Rei- privatum
publicæ, sed ad causam efficientem, unde illud profluxit, habetur, Jus publi-
siquidem hujus intuitu omne jus rectè meretur dici publicum, quia cum ap-
qualecunque illud est, à potestate legislatoriâ proficiscitur. Atque pelletur.
huc pertinent regulæ: *Jus publicum privatorum pactis mutari non potest. l. 38. π. d. pact. l. 27. π. de R. 7. Non capitur, qui jus publicum sequitur. l. 116. §. 1. π. d. R. 7.* Quo sensu passim etiam
commune appellatur. Quare dicitur: *Non videri deceptum eum, qui jure communi est usus l. 51. §. pen. π. d. fidejuss.* Et **com-**
munem utilitatem dicit pro publicâ JULIANUS in *l. 51. §. fin. π. ad L. Aquil.* ANT. FAB. in *Jprud. Papin. d. 7. & 7. pr. 5.* Alias ad-
huc significationes refert REBHANN. in *Hodeg. jur. chart. II. Clim. I. apb. 11. 12.*

V.

Est tamen **Utrumque jus ex præceptis naturalibus** Ex quibus
gentium & civilibus collectum. Et de privato quidem fontibus
hactenus dubitavit nullus; nam & ipse Imperator hoc affirmat in *§. collecta
fin. 7. d. 7. & 7.* Sed ratione **publici juris** non una omnium est sint jura.
sententia. Negantium opinionem sequuntur FRANZ. ad *Tit. π. d.* An etiam
7. & 7. n. 97. M. LYCLAMA *lib. 7. Eclog. 41. §. 1.* LOCKAMM. *quest. jus publi-
Just. 6.* Affirmativam verò tenent BACH. ad *Treutl. Vol. I. disp. 1. cum ex
th. 3.* STRAUCH. *Exercit. I. th. 2.* A. GERHARD. *Exercit. I. th. 5. præceptis
FIBIG. elect. jur. publ. semidec. 3. qu. 3.* WURMSER. in *nucl. jur. contr. naturalib9
lib. I. Tit. 1. contr. 9. & in exercit. jur. publ. 1. th. 3.* MAURITIUS de & gentium
princip. jur. publ. Germ. cap. 3. apb. 2. seqq. DN. SCHWENDEND. ad sit colle-
stum.



Eckolt. π. d. J. & J. §. 19. Sed tota res expediri potest, si inter principia juris publici & ejus principiata inter causam efficientem remotam & proximam, inter quæstionem an sit, & quale sit, distingvamus cum Biccio *in preloquio rer. quotid. aph. 32. lit. O.* Exinde factum est, ut aliud jus naturale, aliud Gentium, aliud verò civile appellatum fuerit. *d. §. fin. J. d. J. & J.*

VI.

Definitio
Juris naturalis.

Jus naturale est, quod natura omnia animalia docuit. *pr. b. t.* Vel plenius: Est dictatum rectæ rationis, indicans alicui actui ex ejus convenientiâ, aut inconvenientiâ cum ipsâ naturâ rationali inesse moralem turpitudinem, aut necessitatem moralem, ac consequenter ab authore naturæ DEO talem actum vel vetari vel præcipi. *GROT. d. J. B. & P. cap. 1. n. 10.*

VII.

Ejusdem
Divisio in
Primarium & Secundarium.

Dividitur à Dd. communiter in **Primarium & Secundarium.** Illud vocant, quod hominibus cum brutis est commune; hoc verò, quod solis hominibus est proprium. *MYNSING. SCHNEIDEW. ad pr. J. b. t.* Verum quia de brutis jus naturale proprie prædicari nequit, *v. ib. XII.* facile inde patet, istam divisionem hoc modo explicari non posse. Nam si solis hominibus illud competit, suâ sponte sequitur, alterum membrum & sic ipsam simul corrumpere divisionem. Hinc alii aliam afferunt explicationem, ut nimirum **Primarium** sit, quod naturæ humanæ innotuit statim ab initio, & cum origine generis humani: **Secundarium** verò, quod natura docet homines per illationem certæ consequentiæ. *ZIEGL. ad Grot. d. l. n. 10.* Ad illud principia ipsa: *Bona sunt facienda, mala fugienda.* *HAHN. ad Wesenbec. d. J. & J. n. 15.* verb. *definitio legis nature.* Ad hoc vero principiata, & quidem immediata,

diata, referunt; veluti: *Religionem erga Deum, ut parentibus & patriæ pareamus l. 2. π. d. 7. & 7. ut vim atque injuriam propulsemus. l. 3. π. eod.* Sed quia illatio ista certæ consequentiæ, in quâ postorius fundatur, magis juri gentium, quam naturali convenit, quippe quod necessitatem ex se & solâ naturâ rei, quæ vel bona est vel mala, infert, ideò præallatam divisionem nullo niti fundamento, satis constat.

Reprobatur dicta divisio.

VIII.

Jus gentium per se speciem non facere, sed ratione principii obligandi vel ad jus naturale vel civile referri posse, asserunt TABOR *in not. ad C. 7. A. d. 7. & 7. n. 14.* DN. PUFENDORFF. *in element. jurispr. univers. lib. 1. §. 24.* Quæ sententia licet rationibus non contemnendis sit stabilita, nos tamen expositioni juris civilis Romani insistentes, cum Justiniano separatim quoque de eo agamus, ac proinde illud sic definiamus, quod sit **jus à ratione naturali, usu & necessitate humanâ exigente constitutum.** §. 1. 2. *7. b. t. l. 9. π. eod.* Vel est jus, quod gentium omnium aut multarum voluntate, vim obligandi accepit. GROTIUS *d. 7. B. & P. cap. 1. n. 14.* Quæ definitiones, licet quoad verba differant, re ipsa tamen omnino conveniunt. TEXTOR *d. jure gentium. Cap. 1. n. 2. seqq.* vid. DN. SCHWENDING. *ad Eckolt. π. d. 7. & 7. §. 23.*

Ejusdem Definitio

IX.

Estque vel **Primarium**, vel **Secundarium**. Illud circa principiata immediata, h. e. ea, quæ ex principiis directè veniunt; hoc circa mediata versatur. Illius exempla sunt: *Religio erga Deum, amor erga patriam & parentes, sui ipsius defensio l. 2. l. 3. π. d. 7. & 7.* Hujus verò: *manumissiones, introducta bella, discretæ gentes, regna condita, dominia distincta, agris termini positi, ædificia collocata, commercium, emptiones, venditiones, locationes, conductiones, obligationes instituta, exceptis quibusdam, quæ*

& Divisio in Primarium & Secundarium.

quæ à jure civili sunt introducta. *l. 4. l. 5. ff. d. 7. §. 2. 7. d. 7. N. G. & C.* Hanc divisionem improbant BACH. LUDW. *add. §. 2. ARUM. Ex. 1. th. 14.* & plures alii, quibus in conflictu satisfaciamus.

X.

Juris civilis Definitio

Jus civile est, quod quisque populus ipse sibi constituit. *§. 1. 7. b. t.* Ita quoad statum popularem. *l. 9. π. d. 7. §. 7.* Aliàs in genere jus civile est, quod legislator ad Reipublicæ comòdum constituit. STRAUCH. *dissert. Justin. I. th. 6.* DN. STRUV. *Exercit. π. 1. th. 57.* DN. HUBER. *disp. 5. fundam. jur. §. 1. seqq.*

XI.

Ejusdem divisio

1.
In merum & mixtum.

2.
In scriptum & non scriptum.

Estque vel merum (proprium) vel mixtum (commune) *d. §. 1. b. t.* Illud appello, quod ex solâ ratione civili, i. e. ex eo quod bonum est & utile in Republicâ, fuit excogitatum, veluti in *adoptione, usucapione, obligatione verborum & literarum, L. Æliâ Sentiâ, Fusiâ Caniniâ, Voconiâ, Furiâ, Falcidiâ, Scto Vellegano, Macedoniano, Trebelliano, mancipatione, cretione, &c.* Hoc vero est, quo juri naturæ vel gentium aliquid additur vel detrahitur. *l. 6. π. d. 7. §. 7.* v. g. in nuptiis, tutelâ, patriâ potestate. VINN. *ad d. §. 1. 7. b. t. n. 2.* HUBER. *ad d. Tit. th. 6.* qui tamen referunt, saltem docendi causâ hanc divisionem retineri posse. Nam omne jus è juris naturalis principio & fundamento derivatum, ac certæ Reipublicæ accommodatum esse, demonstrat UNGERPAUER *Exercit. 3. qv. 2. & Exercit. 10. qv. 2. in nego.* eumque secutus LUDWELL. *ad d. §. 1. 7. b. t. n. 2.* Unde sequitur jus Civile non ex nudâ opinione hominum, sed ex ratione, non quidem semper constanti, necessariâ, universali & communi, *probabili* tamen constare. FIBIG. *in Colleg. leg. publ. Exercit. I. qvæst. 7. lit. a.* Aliter adhuc dividitur jus civile in scriptum & non scriptum, de quâ re in sequenti Exercitatione acturi sumus.

XII. Con-

Conditores juris variant, pro ejus diversitate. Et **Naturale DEUM** autorem habet. §. 11. *J. d. J. N. G. & C.* qui est ejus inventor, disceptator, lator. *Cic. lib. 3. de Re- publ. Hanc, inquit IDEM lib. 2. de LL. video sapientissimorum fuisse sententiam, Legem neque hominum ingenis excogitam, neque scitum aliquod esse populorum, sed æternum quiddam, quod universum mundum regeret, imperandi prohibendi- que sapientia. Ita principem legem illam ac ultimam mentem esse dicebant, omnia ratione aut cogentis aut vetantis DEI, ex quâ est illa lex, quam Dii humano generi dederunt.* **Jus gen-**

tium verò à **ratione naturali** proficiscitur. v. MAURIT. *d. princip. jur. publ. Germ. cap 4. sect. 1. §. 2. non simplici illâ & absolutâ, quæ in discrimine honesti & turpis consistit, ac juri naturali propria est; sed ea potius, quæ mixta appellatur, & ex utilitatibus ac necessitatibus humanis perficitur, §. 1. 2. J. d. t.* ac vulgò ratiocinatio dici solet. Denique **jus civile** ab eo, qui **majestate**

pollet, ortum accipit. Hunc verò potestate legislatoriâ instructum esse oportet; siquidem omne id, sine quo Reipublicæ finis obtineri nequit, debet in societate esse apud eum, penes quem est summum imperium; At sine potestate legum ferendarum non est possibile, ut Respublica queat esse beata. STRAUCH. *in specim. jur. publ. Tit. 5. §. 1. Quare non est, ut Pontifici Romano denegetur; puta intra territorium suum, quod Patrimonio D. Petri vocant. Nam extra illud frustra illam affectat, ut proinde detestanda sit Bulla Innocentii X. Papæ, quâ utrumque pactum pacis Germaniæ, & Monasteriense pariter ac Osna-*

brugense irritum reddere ille est conatus, quam solidè profligavit celeberrimi nominis vir, Hermannus Conringius. Add. ZIEGL. de jur. majest. lib. 1. cap. 5. §. 20. Et cum superiori seculo Calendariu Gregorianum à Gregorio Pontifice, sub dato Tusculi Anno incarnationis dominicæ M. D. LXXXI. sexto Calend. Martii Imperatori & statibus obtruderetur, jure optimo illud fuit recusatum. MATTH. STEPH. d. J. d. t. lib. 3. p. 1. cap. 3.

B

In

An Imperatori? In nostro Imperio Romano-Germanico Imperator cum Statibus leges universales condit. *N. U. zu Worms de An. 1495. pr. & zu Freyburg d. A. 1597. in fin. pr. item zu Augspurg d. An. 1500. nec non zu Speyer d. A. 1526. Pacif. Westphal. art. 8. §. 1. 2. 3. & 4.* Unde Imperii, & non Imperatoris Recessus appellantur Reichs- Abschiede. Consentiant nobiscum JACOB CLUTEN in *sylloge rerum quotid. aph. 21.* LAUTERB. *d. crim. prescript. th. 5.* MAURITIUS *d. R. J. §. 14. 15.* Dissent. ARNOLDT ENGELBRECHT. *d. Jdict. Imp. th. 18.* THOM. MICHAEL *d. Jdict. Concl. 9. lit. d.* STRAUCH. *in spec. jur. publ. lib. 1. Tit. 5. §. 7.* Hoc tamen certum est, Imperatorem legem conditam omisis Procerum nominibus publicare solere, hac formula: **Wir Leopold von Gottes Gnaden bekennen und thun kund.** Vid. LIMN. *ad Capitul. Carol. art. 32.* & MAURIT. *d. tr. §. 24.* Privilegia autem etiam his inconsultis & ignorantibus ipsum concedere posse, pro certo habetur. *A. B. Cap. 2. §. und dieweil ibi: Darum setzen und erkennen Wir. N. U. d. Anno 1544. ibi: Unser Constitution und Ordnung.* CARPZ. *d. L. Regia cap. 8. n. 8.* PAUERMEISTER *d. Jdict. Imp. Rom. lib. 2. cap. 4. n. 6.* modo non fiat in illorum detrimentum. *Cap. Ferd. III. n. 47.* Sed particulares & locales leges singuli Status in suis territoriis, etiam contra jus commune, si publicas Imperii leges excipias, vi superioritatis territorialis rectè condunt, adhibitis in consilium Statibus provincialibus, *der Land-Stände* in rebus & moribus patriis optime quippe in iis eruditis & versatis. CLUTEN. *d. l. lit. b.* MYLER. *p. 2. cap. 39. aphor. 4.* RELFENSO *d. summa princ. potest. cap. 4.* Idque adeo verum est, ut etiam in Camera attendantur, si ritè fuerint insinuatae MYLER. *d. l. aph. 6.* GAIL. *1. obs. 36. n. 14.* nec confirmatione Imperatoris opus habeant. ZIEGL. *d. l. aph. 19.* Statuta verò, à civitatibus municipalibus adæqvata suis communitatibus, rectè conduntur, quæ tamen vigorem legis non habent ante, quam si Superioris confirmatio accesserit. Nihil autem refert, an ea sequatur Statutorum ordinationem, an præcedat. ANT. FAB. *in Jprud. Papin. Tit. 2. pr. XI. Illat. 2.* Ex quibus posterius tum fieri solet, si generaliter Princeps

An Statibus Imperii?

De statutorum ordinatione.

Princeps potestatem statuendi concesserit; siquidem talis concessio influit in quemcunque actum deinde secuturum, & perinde se habet, ac si unumquodque statutum specialiter confirmetur. ANNÆUS ROBERTUS *ver. jud. lib. 2. cap. 1.* Ast extra casum confirmationis non ut leges, sed conventiones obligant. *l. fin. π. de collat. cap. fin. X. d. consuet. ZOES. ad Tit. ω. de Const. Princip. n. 32.* salvo tamen jure superioris, cui ea tollere omnino manet integrum. Tutissimum est igitur, ut confirmationes petantur. HEIG. *p. 1. qv. 23. & 33.* CARPZ. *in Proc. Tit. 2. art. 2. n. 189.* ZIEGL. *de jur. majest. lib. 1. cap. 13. aph. 18.*

XIII.

Subjectum sunt inferiores, i. e. subditi legislatoris. Subjectum
 Et quidem respectu **juris naturalis omnes homines**, ^{juris}
 cujuscunque sint conditionis aut status. Nam etiam gentes le-^{1.}
 gem non habentes, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt, o-^{Naturalis}
 stenduntque opus legis scriptum in cordibus suis. *Rom. 2. vers. 14. 15.* ^{sunt o-}
 Nec infantes, furiosos, mente captos excipio. Licet e-^{mines.}
 nim vim ejus non intelligant, in actu tamen primo eos obstrin-
 gi expeditum est. Bruta verò hujus juris capacia non esse, ^{An etiam}
 omnino asserimus, partim, quia necesse est, ut recipiens legem ^{bruta?}
 finem ejus, vel boni præceptionem, vel mali prohibitionem
 intelligat, partim etiam, quia in bruta injuria non cadit, *l. 1. §.*
3. π. si quadrupes. E. nec jus. Unde omne jus hominum causa
 constitutum esse dicitur *in l. 2. π. d. statu hom.* HAHN. *ad We-*
senb. d. 7. & 7. n. 14. verb. *quod natura omnia animalia &c.*
 STRUV. *S. 7. C. Exercit. 1. th. 50.* MAURIT. *d. tr. cap. 4. sect. 1.*
 §. 11-12. RACHEL. *d. J. N. & G. §. 39. seqq.* Neque verò ex eo,
 quod in crimine Sodomixæ bestix occiduntur. *Lev. 20. vers. 15.*
16. & 27. & boves cornupetæ, si hominem interfecerint, lapi-
 dari debeant. *Exod. 21. v. 28.* pro contrariâ sententiâ firmum
 peti potest argumentum; siquidem hoc fit, non ut puniantur,
 sed ut memoria criminis penitus deleatur, ne horrendum factum
 ante oculos hominum versetur, recordationeque sceleris aliis

suggerat maleficii perpetrandi notitiam. *can. 4. caus. 15. qv. 1.*
ZOES. ad tit. π. d. pœnis n. 31. Et præterea, ne animal, quod se-
mel nocuit, ulterius noceat, ac dominus ob non adhibitam cu-
stodiendæ bestię curam, damno ejus afficiatur. Multo minus
mover, quod dentur actus quidem naturales, qui cum brutis ho-
minibus sunt communes; ut maris & foeminæ conjunctio, so-
bolis procreatio, educatio; quia id non aliter verum est, quam
quoad considerationem illorum **naturalem & physicam**,
utpote à facultate animæ sensitivæ proveniente; non verò
moralem, quæ à facultate animæ rationalis dirigitur. Hanc
enim solis hominibus propriam esse, à nemine in dubium vo-
cari potest. Conf. *FRANZ. ad π. d. J. & J. n. 106. seqq.* *TEXTOR*
d. jure gent. cap. 2. n. 10. Denique nihil facit, quod ex damno
ab animali dato actio de pauperie detur. *t. t. π. & J. si quadrup.*
paup. fec. dic. Id enim non fit, quasi animal deliquisset, aut ab
ipso pœna esset exigenda; sed saltem ut damnum resarciatur ei,
qui illud passus à domino ejus, qui hæc de re queri non potest,
cum ipsi quodammodo imputari possit, quod penes se habue-
rit rem, unde aliis nocere potuit.

XIV.

Ad Subjectum juris gentium refero gentes,
Subjectum non præcisè omnes universi orbis, quia vix ullum jus reperitur
Juris gen- extra jus naturale, quod ipsum quoque gentium dici solet, omni-
tium sunt bus gentibus commune, ut notat *GROT. d. J. B. & P. Lib. 1.*
gentes *cap. 1. n. 14.* sed multæ, ut plurimum nationum inter se fiat com-
vel multæ municatio. Atque huc pertinent *jur a bellorum, legationum &c.*
vel duæ Poterit tamen etiam inter duas gentes jus gentium constitui.
saltem. Quomodo aliàs dicitur, *pluralem locutionem sæpe duorum nu-
mero contentam esse. l. 12. π. d. test.* Quid enim, si inter duos
pangantur fœdera, quidni idem huic juri annumerari debeat?
RACHEL. d. jur. Gent. §. 24. Igitur jus gentium non ex **nume-
ro nationum** sed ex **fine** æstimatur, adeoque si duo populi
conventionis vinculo in ordine ad ea confocientur, quæ ad
commu-

communem felicitatem, & convenientem communicationem ipsarum inter se pertinent, confurgit jus gentium, uti eleganter ostendit JOSEPH BERNHARD GLETLE in *Jurisprud. fundament. lib. 1. Tit. 2. §. 4. n. 3.* Atque hoc modo illud jus cum aliis gentibus constituitur. Datur tamen etiam aliud, quod singulae gentes vel populi intra suam Rempblicam observant, veluti in *emtione venditione, locatione conductione, &c.* Verum hoc in sese magis civile esse, & per similitudinem, quod & alibi illius sit usus, ita dici, existimat FRANZ. *ad Tit. π. d. J. & J. n. 136. seqq.*

Quid si singulae gentes intra suam Rempblicam aliquid observent?

XV.

Juris civilis Subjectum cives certae Reipublicae continet, qui inferiores leges esse debent. Et non solum singulos separatim, sed & simul **universos** sub respectu communitatis aut societatis civilis intellectos volo. HAHN. *ad Wesenb. Tit. d. LL. n. 7. ZIEGL. d. tr. lib. 1. cap. 5. aph. 1.* cujuscunque sint status & conditionis, ne alias illud vulgatum:

Subjectum juris civilis sunt cives certae Reipubl. singuli & universi

Dat veniam corvis, vexat censura columbas.

objiciatur. VALENT. WINTHER. *in parthen. litig. lib. 1. cap. 14.*

n. 1. Nec **advenas** excludo, quia lex fertur toti territorio, inde omnes in eo degentes pro tempore, quo ibi commorantur, ut temporarios subditos obligat. ANT. MERENDA. *contr. jur. lib. 4. cap. 35.*

etiam advena.

Dum dico **inferiores**, simul innuere volo, **legislatorem** à subjecto juris esse diversum. Neque enim fieri potest, ut aliquis sui ipsius existat inferior & superior, siquidem cogens & coactum concurrere non possunt; nec quisquam sibi imperare potest. *l. 51. w. de recept.* sed omnis coactio, ut à principio quodam externo procedat, est necesse. BACH. *ad Trentl. Vol. 1. disp. 1. th. 6.* Struv. *Exercit. π. 1. th. 8.* Prædicta verò ita sunt accipienda, ut legislator quidem non obligetur, quoad **coërcitionem**. *l. 1. l. 2. l. 7. π. de LL.* utique tamen quoad **obedientiam**, & ita non per modum debiti, sed honesta-

non tamen legislator.

Lim. 1.

nestatis & decentiæ, atque adeò non ex quadam necessitate, sed liberâ voluntate. Quomodo digna vox est Principis, majestate regnantis legibus alligatum se profiteri. l. 4. C. d. LL. Et ipse Justinianus asserit: *Licet legibus soluti simus, attamen legibus vivimus. in §. fin. f. quib. mod. jus test. infirm.* Sed & jam ante ipsum Imperator Alexander in l. 3. C. d. testam. falsus est: *Licet lex Imperii solennibus juris Imperatorem solverit, nihil tamen tam proprium Imperii est, quam legibus vivere.* HOTTOM. *illustr. qv. 1.* LOCKAM. *qv. Just. 9* Deinde regula allata intelligi debet de eo, quod Principem concernit, quoad suam personam; non verò quoad tertium. Quare nec litis causa hæres institui, nec ex testamento imperfecto aliquid capere potest. *d. §. fin. f. quib. mod. jus test. infirm. l. 3. C. d. testam.* Aliter enim si fieret, etiam privatum legibus solutum esse, foret dicendum. SCOTAN. *d. const. princ. p. m. 35.* Denique observandum, regulam nostram saltem de civili, & ita tali agere lege, quæ ab ipso profecta est legislatore; non de naturali & divina. His enim & ipse subjicitur. Ex quo fieri non potest, ut in gradibus divinâ lege prohibitis concedat nuptias. *cap. 13. X. d. restit. spoliat.* SCHULZ. *de arb. consangu. & ad fin. cap. 7. memb. 2. n. seqq.* CARPZ. *lib. 2. Jprud. Consist. def. 109.* BRUNNEM. *de jure ecclesiast. lib. 2. cap. 16. n. 25.* Nec pœnam in delicta iisdem juribus prohibita, v. g. blasphemiam, homicidium, &c. rectè remittit. Hoc tamen eidem licere existimandum, ut in locum mortis pœnæ atrocioris, mitiorem mortis pœnam substituat. Sed ita non tam pœnam remittit, quam potius eandem interpretatur, & factò applicat, quod Principi non proprium est, sed cum magistratibus inferioribus ipsi commune esse dicitur. ZIEGL. *d. f. Maj. lib. I. cap. 8. n. 5.* Quæ de observatione obligationis juris naturalis sunt allata, illa etiam ad jus gentium accommodari debent. Est enim illud in ipso naturali jure fundatum, ut illud violare omninò sit injustum. Quod jura legationum ac fœderum aliaque satis ostendere possunt. Pacta verò publica, quibus futuro, aut constituto Regi limites summi imperii ponunt, pro legibus non habemus, siquidem ea, quæ ad essen-

An ad juris
 gentium
 observati-
 onem te-
 neatur?

essentiam earum requiruntur, his minime conveniunt. Certum tamen, Principem ad eas observandas, custodiendasque omnino teneri. *Nihil enim est, quod lumine clariore præfulgeat, quam recta fides in Principe. l. inter claras. C. d. summâ Trinit.* Et memorandum est exemplum Caroli V. Imperatoris, qui Eccio Theologo, cum ipsum, ne Luthero datam fidem servaret, persuadere conabatur, hanc dedit generosam responsionem: *Etiam si fides toto exularet terrarum orbe, tamen Imperatori tenendam esse,* utpote, qui hâc solâ fide, nullo verò metu cogi & astringi possit. LIPS. *in monit. polit. lib. 1. cap. 13.* Et ejusmodi De Imperatoris hodierno. pactis etiam nostrum Imperatorem Romano-Germanicum astringi, unicuique constat. Quo ipso tamen summatim nihil detrahitur, sed liberum saltem exercitium quodammodo impeditur. STRAUCH. *in spec. jur. publ. lib. 1. Tit. 4. §. 5. & seqq.*

XVI.

Objectum sunt actiones humanæ, puta virtutes & vitia. Quæ talia sunt vel ex se & secundum naturam suam intrinsecam, vel ex liberâ legislatoris voluntate. Quod non inelegantet est expressum in *l. 42. π. d. V. S.* ibi: *Probrum & opprobrium, i. e. probra quædam naturâ turpia sunt, quædam civiliter & quasi more civitatis.* Actiones verò istæ hujusmodi esse debent, ut jussionem legislatoris recipere valeant. Quare vegetativas & sensitivas, quippe quæ voluntati legislatoris non subsunt, sed à solo motu physico dependent, huc non pertinere, est in præceptulo; siquidem omnis actio humana, quatenus ab omni lege tam naturali quam positivâ abstrahit, in genere morum est indifferens, i. e. neque bona, neque mala. DN. PUFEND. *in specim. controvers. cap. 5. §. 3.* In specie vero jus naturale versatur circa ea, quæ per se sunt honesta vel turpia, ita ut bonitatem & malitiam non ex divina præceptione & prohibitione, sed antecedenter ad illam ex ipsa objecti ratione æstimare debeamus. ZIEGL. *d. Jur. majest. lib. I. cap. 5. §. 37.* Unde quædam hinc sunt præcepta, quia sunt bona,

Objectum sunt Actiones humanæ, puta virtutes & vitia.

Objectum Juris naturalis sunt ea, quæ per se sunt honesta & turpia.

bona, & quædam prohibita, quia sunt mala. Ac proinde *obligatio juris naturalis oritur à naturâ objecti, & sese in objectum diffundit.* LUD. MOLIN. Tom. 1. d. 7. & 7. disp. 3. n. 2. Sed jus gentium continet **conclusiones** ex principiis vel remotè vel proximè deductas. FRANZ. ad π . d. 7. & 7. n. 144. seqq. Ast **ius civile indifferentia negotia**, i. e. ea, quæ per se neque bona sunt neque mala, continet, quæ demum factâ determinatione, ad alterutrum extremorum restringuntur. Equidem etiam ante restrictionem iusta illa dicuntur, sed saltem negative, quia, dum nullâ lege sunt determinata, non iniusta habentur. ZIEGL. d. l. §. 94. Necesse tamen, ut negotia illa sint **possibilia**, vel jure vel facto, siquidem *impossibilium nulla est obligatio.* l. 185. π . d. R. 7. *Et ea facta, quæ ledunt pietatem, existimationem, verecundiam nostram, adeoque contra bonos mores sunt, nec facere nos posse credendum est.* l. 15. π . d. condit. instit. ZIEGL. d. l. §. 73. seqq. Sed & **frequentia** ea esse oportet. l. 3. 5. π . d. LL. *Quod enim semel aut bis existit, prætereunt legislatores.* l. 6. ff. eod. Denique **leges futuris saltem negotiis formam præscribunt.** l. 7. C. d. LL. l. 22. π . eod. Præteritis enim mederi non possunt cum *facta infecta fieri nequeant.* l. 12. π . d. capt. & postl. revers. *Quid ergo, peccavit antiquitas, quæ presentis legis inscia pristinam secuta est obligationem?* inquit Imperator in l. 29. C. d. testamentis. Possè tamen jus antèrius declarari constet. Nam per declarationem non tam quid datur, quam potius datum significatur. l. 21. §. 1. in fin. π . qui test. fac. poss. ZOES. ad π . Tit. d. LL. n. 46.

XVII.

Forma Juris. Forma juris, consistit in voluntate legislatoris publicè declarata, quâ inferiores ad id, quod bonum & justum est, in actionibus suis observandum obligantur. Duo igitur præcipuè requiruntur. Primò **voluntas legislatoris**, à quâ lex omnis mensuratur, quam dicta-

dictamen rectæ rationis in **jure naturæ** statim cuique indi-
 cat; In **jure gentium** verò illa colligitur ex eo, quod suc-
 cèsivè aliquid placere omnibus visum sit, id quasi totius orbis
 decretum fuisse. FRANZ. *ad π. d. J. & J. n. 133. 134.* Sed
jure civili ex certis actibus infra memorandis elicitur. **Vo-**
luntas autem **legislatoris** non debet esse **nuda**, sed cum
 jussione firmata. Sic itaque tum à **Consilio**, tum à **pacto**,
 tum etiam à **permissione** & à **præcepto** habet differenti-
 am. Et à **Consilio** quidem, quod saltem, quid in re dubiâ facien-
 dum sit, suggerit, & svadet, ut tamen illud ipsum libero consilium
 recipientis arbitrio relinquat, neq; utrum fiat nec ne, laborat. *l. 2.*
§. fin. π. mandati. §. 6. J. eod. l. 1. §. 16. depositi. DN. PUFEND. in elem.
Jprud. univ. lib. 1. def. 13. §. 1. à **Pacto**, quod est promissum, quo
 in futurum; lex vero præceptum, quo ex præsentis statim obli-
 gamur. In pacto igitur determinatur prius quid sit faciendum,
 quam ad faciendum obligamur; sed in lege ante obligamur ad
 faciendum, quid verò faciendum sit, post determinatur. HAHN.
ad Wesenb. d. LL. n. 2. Non igitur erunt jussiones; bellum in-
 dicere, pacem inire, sed potius pacta quædam, aut conventiones
 aut consensiones; à **permissione**, quæ non est actio legis, sed
 actionis negatio. BOECL. *ad Grot. lib. 1. c. 1. p. m. 143.* TAB. *in arma-*
ment. Justin. cap. 6. apb. 4. Quod sic intelligendum, si lex per-
 mittat *simpliciter*; secus si addat *determinationem*, veluti, si
 permittat testamentum condere, sed non omnibus. sed v. g. pa-
 tribus familias, puberibus, &c. BACHOV. *in π. ad l. 2. π. de LL.*
 ZIEGL. *d. jur. maj. lib. 1. cap. 5. n. 60.* DN. PUFEND. *d. J. N. G. &*
C. lib. 1. cap. 6. §. 15. Idem asserendum, si contra impedituros
 concedat securitatem permissio, ut non tam agentem, quam pa-
 tientem obliget, & ita virtualiter & implicite præceptum con-
 tineat. Sic explicatur *l. 7. π. d. LL.* à **præcepto**; nam lex
 est universalis, & omnes obligat; præceptum non omnes. Illa
 perpetua est; hoc vero temporale. Quare imperare tributa,
 non est actio legis, sed præcepti. ZIEGL. *d. l. §. 76. in fin.*

2.
 non nuda,
 sed cum
 jussione
 firmata.
 Differunt
 ergò à
 Consilio.
 Pacto.

Permissio-
 ne.
 Præcepto.



Requiritur
declaratio
voluntatis
ipsius legis-
latoris,
non confi-
liariorum. Requiritur verò declaratio voluntatis **ipsius legisla-
toris**, non verò Consiliariorum, qui licet *potentiâ* legum for-
mandarum sint instructi, *potestate* tamen omninò destituuntur.
Unde legislatores, antequam vigore potestatis, quâ pollent,
actualiter legem constituent, sententias consiliariorum de lege
statuendâ exquirere solent.

Adhiben-
da est pro-
mulgatio
vel intrin-
seca vel
extrinseca. Necessè tamen est, ut voluntas illa inferioribus sit
cognita. Cognoscitur verò ex promulgatione, eaque
vel **intrinsecâ**, ut in lege naturæ, per inscriptionem in cor
hominis. *Rom. 2. vers. 14.* vel **extrinseca**, veluti in lege ci-
vili, quatenus illa vel voce præconis, vel per scripturam (olim
rogationem solennem) est publicata. Nec enim vera est sen-
tentia existimantium, ac si **solâ scripturâ** absolvi debeat pro-
mulgatio, & quidem ita, ut simul legis ingrediatur substantiam.
Sanè, quicquid legi jam inesse deductæ supervenit, illud de ejus
substantiâ non est. Atqui scriptura, &c. E. GERHARD. *Ex-
ercit. 1. lib. 7.* VINN. *ad §. 3. J. d. J. N. G. & C. WURMSER. in
Nucl. jur. contr. h. t. contr. 3.* Et licet juxta *l. 5. C. d. LL. le-
ges sacratissimæ intelligi debeant ab omnibus*, non tamen necesse
est, ut intelligantur per scripturam. Neque etiam aliquid face-
re potest divisio juris in scriptum & non scriptum, quoniam
verbum, *scribere*, ibi non significat aliquid literis exarare, sed
idem illud ac sancire, quasi dicatur: aliud jus expresse, aliud
tacitè esse sancitum. VULTEJ. *ad §. 3. J. d. J. N. G. & C. & d.
feud. lib. 1. cap. 1. n. 4.*

Effectus est
obligatio
vel uni-
versalis. **Effectus juris est obligatio** & quidem in **jure natu-
rali universalis** omnium hominum, & consequenter etiam
Princi-

Principum, quibus proinde hic nulla dispensatio competit. Nam cum seipfos ab obligatione hujus juris non possint eximere, quanto minus alios? Certè dispensare de re aliquâ requirit, eâ esse superiorem. In **jure gentium** occurrit **generalis**, nempe duarum pluriumve gentium, non tamen præcisè omnium hominum. In **jure civili particularis**, puta civium in certâ Republicâ existentium, qui obligantur ad juris civilis **scientiam & obedientiam**. Ad scientiam quidem post lapsum duorum mensium, à tempore promulgationis computandum. *Nov. 66. c. 1.* Sanè *leges sacratissimæ ab omnibus intelligi debent, ut universi præscripto earum manifestius cognito, prohibita declinent, permissa sequeantur. l. 9. C. de LL.* Et hoc tempus satis visum fuit, ut lex ad totius communitatis notitiam pervenire possit. Postea ignorantiam nemo prætendat. *l. 12. C. d. J. & F. ignorantia*, nam lata culpa est, ignorare, quod in loco publico est affixum. *l. 11. §. 3. π. de instit. act.* Sed & spatio illo non concesso, non excusantur subditi legem non observantes, etiamsi supplicationem interposuerint. *ZIEGL. d. l. n. 13.* si modo promulgata fuerit. Nam ante eam nihil facit scientia conceptæ legis; privata enim cum sit, nullum legi potest dare vigorem. *ZOES. ad π. d. LL. n. 11.* Ad **obedientiam** legem obligare, nemo inficias ibit, dum omnino certum, inferioris esse, jussibus superioris obtemperare. An vero etiam **in conscientia** hoc procedat, quæri solet? Affirmativa nobis placet, partim, quia legislator civilis fert leges tanquam minister DEI, qui eam potestatem magistratui dedit, ut ita huic non obtemperans, ipsi DEO non obtemperasse censeatur; *Rom. 13. vers. 1. 2.* partim, quia conscientia dicitur leges civiles in utilitatem Reipubl. esse latas, indeque ab eo, qui se ejus membrum profitetur, servandas. *ZOES. ad π. d. LL. n. 15.* *STRUV. S. J. C. Exercit. 2. th. 13.* *HAHN. ad Wesenb. Tit. d. LL. n. 7. verb. omnes obligant.* *JOSEPH BERNARD. GLETLE in Jprud. fundam. §. 8. n. 3.* Pro dubiis refellendis placet distinctio, inter leges, quibus **actiones in se indifferentes** prohibentur vel præcipiuntur;

vel Generalis

vel Particularis

Hac obligat ad scientiam

& obedientiam

An etiam in conscientia?

tur; & eas quibus civilibus negotiis certa forma præscribitur. Illis contraveniens, reatum committit. Hæ verò actum solum nullum reddunt, vel pœnam injungunt. ZIEGL. *d. l. §. 90.* qui sub *n. 97. & 98.* eleganter quoque inter purè & mixtim pœnales distingvit, ita ut illis satisfiat, si pœna solum est præstita; his vero non aliter, quam si legi simul obediat. add. GLETLE. *d. l.*

Contraria
consistunt
in Muta-
bilitate
quæ ad jus
naturale
non perti-
net.

XXII.

Superfunt adhuc contraria, quæ in mutabilitate juris consistunt. Ubi statim notandum, eam ad jus naturale non pertinere. Nam cum *divinâ quâdam providentiâ sit constitutum, semper firmum ac immutabile permanet. §. 11. J. d. J. N. G. & C.* puta, quoad sui substantiam, i. e. legem ipsam, quæ abrogari non potest; secus quoad materiam ejus, si forte exuat legis conditionem, sub quâ ejusdem prohibitionem terminabat, sive, si actio subtrahitur obligationi naturali, ut loquitur REBHÄHN. *in Hodeg. jur. chart. 2. clim. 1. §. 49. in not.* vel, si objectum extrahitur ex numero eorum, quæ lex comprehendebat, si modo materia hominum, vel ipsius DEI potestati sit obnoxia, secundum GLETLE, in *l. c. §. 5. n. 9.* Nata est inde divisio inter mutationem intrinsecam & extrinsecam, item inter eam, quæ afficit jus naturæ in thesi & in hypothesisi consideratum; de quibus ut & plurimis aliis v. HÄHN. *ad Wesenb. d. l. n. 15.* verb. *effectus præcipuus.* Jus vero gentium propriè & verè tale plurium nationum communem felicitatem respicit, atque eò tendit, ut inter plures gentes sit conveniens societas & communicatio quoad ea, quæ gentibus, quâ talibus, sunt consentanea, ideò ab unâ solâ gente directè mutari non potest; Quod aliter se habet in eo, quod sine obligatione mutuâ apud gentes est receptum, & aliàs improprium appellatur. Nam quia hoc particulam quandam ad jus civile pertinentem continet, igitur mutationi quoque illud subjacere firmiter assero. STRUV. *Exercit. 1. tb. 59.*

XXIII.

Quod attinet **jus civile**, certum quidem est, illud eo Sed tamen
 animo ac proposito condi, ut perpetuò in Republicâ valeat, ad jus ci-
 uti id satis indicant sequentes formulæ: *Hac edictali lege in per-* vile.)
petuum valiturâ sancimus. l. 6. C. d. secund. nupt. Hac perpetuâ Quod
lege sancimus. l. 2. C. ubi quis de curiali vel cohort. Hac lege confirma-
perpetuò credimus ordinandum. l. 2. C. d. sent. experic. recit. tur.
 hæc ita quoad intentionem legislatoris primariam; Per acci-
 dens enim fieri potest, ut jus civile mutetur. Nam & rerum
 humanarum mira varietas, & ipsarum legum conditio, & aliæ
 multæ causæ sæpe legum mutationem svadent. *Nov. 2. n. 66.*
Nov. 98. Nov. 111. Nov. 145. Nov. Leon. proæm. Certè, divina
quidem res sunt perfectissimæ; humani verò juris conditio semper
in infinitum decurrit, & nihil est in eo, quod perpetuo stare possit;
multas etenim formas edere natura novas deproperat. l. 2. §. 18.
C. d. V. J. E. Nec enim semper & aliquid utile est, quod aliquan-
do & alicubi fuit utile. l. un. C. d. cad. toll. Nemo enim affirmabit,
 malum perpetuò tolerari debere in Republicâ, si possit corrigi.
 Imo verò quo magis invaluit, eò magis est tollendum. Est & il-
 la memorabilis Valerii apud Livium sententia: *Ex iis legibus,*
quæ perpetuæ utilitatis causâ latæ sunt, nullam esse abrogandam,
nisi quam vel usus coarguit, aut Status Reip. inutilem fecit. Hinc
 nostri: *In rebus novis constituendis evidens esse utilitas debet, ut*
recedatur ab eo jure, quod diu æquum visum est. l. 2. π. d. con-
stit. Princ. Et si nihil facile mutandum est ex solennibus, tamen
ubi æquitas evidens poscit, subveniendum est. l. 7. pr. π. d. in in-
tegr. restitut. l. 183. π. d. R. J. TABOR in Collat. Juris Rom. &
Hungar. partic. II. sect. 1. §. 37. RITTERSH. ad Nov. in Proæm.
cap. 3. per tot.

Fit autem mutatio legis (1.) **expressâ abrogatione**, Quod mu-
 si prohibeat legislator, ne posthac lex ista observetur. (2.) **lege** tatur
 abrogatio-
 ne. 2. Lege
 C 3

contraria **contrariâ.** Nam constitutiones tempore posteriores, potiores sunt his, quæ ipsas præcesserunt. *l. fin. π. de const. Princip. §. pen. 7. h. t.* Unde Decemviri ajunt in *LL. 12. tabb. Jussus populi & suffragia sunt, quodcunque postremum populus jusserit, id jus ratumque esto.* Pertinet huc illud **ULPIANI** in *fragm. d. LL. & moribus §. 2.* *Lex, inquit, aut rogatur, i. e. fertur: aut abrogatur, i. e. prior lex tollitur; aut derogatur, i. e. pars primæ legis tollitur: aut subrogatur, i. e. adjicitur aliquid primæ legi: aut abrogatur, i. e. mutatur aliquid in primâ lege.* Ratio hujus juris est, quia in omnibus ferè actibus humanis voluntas posterior prædominatur, veluti in pactis. *l. 12. C. d. pact. ultimis voluntatibus. l. 4. π. d. adim. vel transf. leg. transactionibus. cap. 1. X. d. transact. constitutione procuratoris. l. 31. §. fin. π. d. procuratorib.* Rescriptis. *cap. 1. X. d. Rescriptis.* Quidni etiam in legibus? Sed procedunt allata, si utraqve lex vel est **generalis** vel **specialis**; fallunt autem si **prior generalis** sit, & **posterior specialis**, quia ita non lex tota, sed saltem ejus pars est abrogata. **ULP.** in *fragm. d. 1.* & **MODESTINUS** in *l. 102. π. d. V. S.* *In toto enim jure generi per speciem derogatur, & illud potissimū habetur, quod ad speciem directum est.* *cap. 34. d. R. 7. in 6. l. 80. π. d. R. 7. (3.)* **tacitâ** voluntate, si terminus legis effluxit. *l. 21. π. d. V. & P. substit.* vel **contrariâ** consuetudine tollatur, uti in *disp. seq.* ostendam, vel denique, si causa legis finalis cesseret; puta **universaliter & in totum**; non si **particulariter**. **STRAUCH.** *dissert. 1. th. 15.* Hinc licet adolescentes rem suam benè gerant, à curâ tamen non liberantur. *l. 1. §. 3. π. d. minorib.* Neque etiam, si saltem **impulsiva** deficiat. Licet ergò Calpurnia, improbissima fœmina dederit causam & occasionem Edicto, ne mulieres pro aliis postularent, tamen illud etiam in probis mulieribus obtinet. *l. 1. §. 5. π. d. postul.* Deniq; si ejusdē legis plures dentur rationes, tunc **una vel altera** solum cessante, lex ipsa tamen non cessat.

§. 6. 7. *J. d. nupt.*

S. D. G.

Co-

COROLLARIUM.

ERrant perniciosè, qui sepo-
fitis legibus, vel ex solo jure
naturali, vel ex eo, quod experi-
entia docet, controversias foren-
ses decidendas esse existimant,
quos acriter perstringit. TAB. in
tract. d. conatu cap. 4. §. 12. Non-
nulli, inquam, *Legum Dd. hodi-
erni*, qui pessimo in publicum ex-
emplo & peccato, juvenibus per-
suadere conantur, non opus esse, ut
valde solliciti sint de mente legum
(cujus Professores tamen audire
gestiunt) sed rectius studiis consu-
li, si statim ad tradita Practico-
rum, & ad nugatorium illud jus
naturale, quod ex suo cerebro ex-
sculpunt, animum applicuerint.

Quasi

QA
TK
824

Quasi ex nugis ejusmodi & vari-
antibus discursibus potius, quam
ex certis, solidis, beneque funda-
tis Jurisprudentiæ Papinianæ
principiis, controversiæ juris pub-
lici privatiqve feliciter ac facili-
us definiantur. Quid ergò mi-
ramur super unâ eademqve quæ-
stione & casuatione, tam diversa
& contraria vulgari responsa,
quando juris canones aut non
intelligimus, aut a-
spernamur.



VD77




ri-
am
da-
eæ
ub-
ili-
mi-
væ-
rfa
sa,
n

en
f
v
(
v
f
n

7

ME





Inches
Centimetres

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8

KODAK Color Control Patches © The Tiffen Company, 2000

Kodak
LICENSED PRODUCT
Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

